

CASUS VI.

ONANISMUS 1°.

ROMANA virum habet impium, procreare liberos fastidientem, saturandæ vero libidinis cupidum; qui idcirco, dum ad uxorem accedit, infandum Onæ crimen semper patrat. Hoc ROMANÆ notissimum. Itaque luget, atque ingemiscit pia mulier. Si virum admoneat de usu matrimonii rite obeundo, vel si debitum ob abusum ei deneget, verbis asperis et durioribus verberibus excipitur. Timens divinam offensam, nescit misera quo se vertat. Undique ambagibus premitur. Pergit ad Confessarium, consilii petendi causa. Ab eo quærit utrum debitum viro petenti reddere possit, et an poscere sit sibi criminis. Utrumque flagitiosum esse asserit Confessarius, quia crimen Onæ est quid intrinsece malum, etiam ex parte uxoris utpote cooperantis. Quare omnia mala et ipsam mortem esse sufferendam ab uxore, potius quam tanto scelere fœdari. Mœrens ROMANA a Confessario recedit, et præ dolore mortem appetit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An unquam in viro onanismus excusari potest a mortali?*
 2° *An a peccato excusari valeat mulier invita, virum onanistam patiens ex gravi causa?*
 3° *An vero excusetur mulier, debitum sine gravi causa viro onanistæ reddens? et an petere possit?*
 4° *Quid de casu?*

SOLUTIO :

1103. — *R. ad 1^m Quærs. Neg.* omnino, quia infandus ille actus est semper viro voluntarius; is enim est semper agens, dum mulier se passive habere potest. Malitia onanismi intrinseca consistit in hoc quod vir copula incepta se retrahat, ne semen in corpore mulieris effundatur, et proinde ne generatio inde sequatur; hoc autem est semper intrinsece malum. Ergo vir nunquam a peccato gravi excusari potest; ergo nunquam est absolvendus, nisi de peccato doleat, et emendationem promittat.

1104. — *R. ad 2^m Quærs. Affirm.*, modo interius peccatum detestetur, ac displicentiam suam signis aut verbis ostendat. Ratio est: 1° quia rei licitæ vacat, scilicet, actui conjugali; actus enim ille non est malus ex parte onanistæ, nisi in fine, quando se retrahit. Hæc autem inconstantia quæ actum intrinsece malum reddit, est omnino independens a muliere, quæ se mere passive habet. 2° Quia mulier non tenetur cum gravi suo incommodo, seu cum periculo jurgiorum, etc., peccatum mariti impedire. 3° Quia constat ex variis responsionibus *S. Pœnit.* talem uxorem non esse inquietandam. *V. Comp. n. 922-927.*

1105. — *R. ad 3^m Quærs.* 1° Non videtur excusanda mulier, quæ sine gravi ratione debitum viro reddit, quando certo ipsi constat quod ille sit male acturus. Ratio est, quia ad cooperandum peccato alterius, licet mate-

rialiter tantum, causa gravis et proportionata requiritur. Constat etiam ex variis responsionibus *S. Pœnit.* quæ semper causam gravem requirunt, ut mulier virum onanistam patiatur. *V. Comp. n. 927.* Causæ autem graves fere semper habentur, v. g., timor fundatus graviter viro displicendi, et pace in vita conjugali carendi, etc. Attamen *S. Lig. n. 947*, dicit uxorem *probabilius* posse, imo et teneri debitum reddere viro onanistæ, absque gravi causa: ratio est, ait, quia maritus jus habet ad copulam, et mulier, si non possit eum ab ea avertere per monitionem, non cooperatur peccato mariti reddendo debitum, quia cooperatur tantum copulæ inceptæ, non vero actioni viri quando, imperfecta copula, se retrahit. Sed recentibus *S. Pœnit.* responsis nunc standum est.

2° Certo autem uxor non potest debitum petere a viro onanista absque gravi causa, v. g., si ipsa periculo gravi incontinentiæ exponatur; quia cooperatio etiam materialis sine justa ratione permitti nequit. Secus vero, si uxor gravi de causa debitum petat; quia tunc a peccato cooperationis excusatur. *S. Lig. n. 947.* Constat etiam ex Declaratione *Card. de Gregorio*, *S. Pœnitentiæ Præfecto. V. Comp. n. 925.*

1106. — *R. ad 4^m Quærs.* In casu ROMANA nullo modo erat inquietanda, cum ex gravi causa viro onanistæ debitum reddere impellatur. Erravit igitur et graviter Confessarius, eam de peccato mortali et de cooperatione intrinsece mala damnando. Id quidem asserebant olim Theologi non pauci; sed, re melius perpensa, Theologi recentiores communissime docuerunt mulierem non facere rem intrinsece malam, debitum viro onanistæ reddendo cum gravi causa. Omne dubium hac de re nunc rejiciendum est post memoratam *S. Pœnitentiariæ* Decisionem; quis enim Confessarius, graviter illicitum, et quidem intrinsece malum declarabit id quod Theologi communiter, et ipsa tribunalia Romana permittunt? Igitur doctrinam suam emendare debet Confessarius, et mœrentem ROMANAM confestim consolari, ne præ tristitia et dolore mortem invocet.

CASUS VII.

ONANISMUS 2°.

1° FLORIANUS, Missionarius, maximis laborat difficultatibus circa conjugatos audiendos et absolvendos. Urget et instat in inquirendis peccatis, et juribus matrimonii oppositis. Omnes pœnitentes vinculo nuptiali conjugatos de his sedulo interrogat. Quos autem reperit his sordibus inquinatos non absolvit, nisi præhabita experientia quod in matrimonio debite vixerint; imo, pro sacramentali pœnitentia ante absolutionem adimplenda, conjugale debitum rite reddendum eis injungit.

2° ARNALDUS, pariter Missionarius, alia principia docet et sequitur. Tenet enim nunquam pœnitentes hac de re esse interrogandos, licet ex adjunctis videantur prævaricatores, et taceant; imo non esse audiendos, si interrogent, at per effugium eis esse respondendum: quia, si sint in bona fide, ab ea non sunt extrahendi; si non sint, in ea sunt indirecte constituendi, ut salvi fiant.

Hinc :

QUÆR. 1^o *An, vel quomodo interrogandi sint conjuges de peccatis operi conjugali oppositis?*

2^o *An sint interrogandi, ubi nulla occurrit gravis suspicio quod in his deliquerint?*

3^o *Quid de sententia eorum qui tenent conjuges numquam esse interrogandos?*

4^o *Quid de agendi ratione utriusque Missionarii?*

SOLUTIO :

1107. — *R. ad 1^m Quæs.* Conjuges interrogandi non sunt de peccatis in usu matrimonii patris, nisi obiter et perpaucis, propter incommoda quæ ex multiplicatis interrogationibus sequerentur. Igitur, si locus sit interrogandi, breviter et modo generali tantum id fieri debet, ut occasio detur pœnitenti, si reus sit, sese accusandi et obligationi suæ satisfaciendi. Confessarius enim constituitur ad pœnitentem adjuvandum quidem, ut viam ipsi sternat; sed non tenetur interrogare de iis omnibus quæ pœnitens declarare debet: porro, si hoc verum est generatim loquendo, quanto magis in præsentia materia quæ majoribus quidem scatet incommodis!

1108. — *R. ad 2^m Quæs.* Minime gentium: hinc si tibi occurrant pœnitentes qui christiane vivant, neque soleant frequenter in mortalia prolabi, et interdum, decurrente anno, confiteantur et communicent, ab iis de actu conjugali interrogandis abstinere potes; imo *per se* debes, nisi tibi appareat suspicio valde gravis quod in peccato sint lapsi; a fortiori altum servare debes silentium, si conjuges frequenter confiteri soleant.

1109. — *R. ad 3^m Quæs.* Illa sententia minime servanda est; e contrario prorsus rejicienda. Constat ex recenti *Decisione S. Cong. Inquisitionis*, die 21 Maii 1851. Quæsitum enim fuerat, qua nota digna foret sequens propositio: *Nunquam expedit interrogare de hac materia (onanismi) utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio.* Responsum fuit: *Propositionem prout jacet esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.* Præfata autem Consultatio, cum *S. Congr.* responso, sic jacet:

Consultatio circa onanismum.

Quæritur a Sede Apostolica qua nota theologica dignæ sint tres propositiones sequentes, nimirum:

« 1^o Ob rationes honestas, conjugibus uti licet matrimonio eo modo quo unus est *Onan*.

« 2^o Probabile est istum matrimonii usum non esse prohibitum de jure naturali.

« 3^o Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir, sive uxor, matrimonio abutantur. »

Responsum die 21 Maii 1851.

In Congregatione generali S. Rom. Inquisitionis, Eminentissimi et Reverendissimi Generales Inquisitores rescribi mandarunt:

« *Ad 1^m*: Propositionem esse *scandalosam, erroneam et juri naturali matrimonii contrariam.*

« *Ad 2^m*: Propositionem esse *scandalosam, erroneam* et alias implicite « *damnatam* ab Inn. XI, prop. 49, quæ sic jacet: *Mollities jure naturali prohibita non est...*

« *Ad 3^m*: Propositionem prout jacet esse *falsam, nimis laxam* et in « *praxi periculosam.* »

Revera Confessarius munus suum medici, doctoris et judicis adimplere debet circa conjugum obligationes debitum matrimoniale spectantes, sicut in cæteris; sed majori prudentia et interrogationum sobrietate in hac materia uti debet.

1110. — *Objicies*: Sed cavendum est ne conjuges, qui forte in bona fide versantur, ab ea eruantur, et subinde peccata formalia committant.

R. Si valeret objectio, jam neminem in re qualibet interrogare posses, ne pœnitentes a bona fide excutias. Jam facillimum evaderet munus Confessarii, et plerumque abjicere deberet Sacerdos, Vicarius Christi, in tribunali Pœnitentiæ partes medici, doctoris et judicis. Theologi docent quidem communiter omittendas esse interrogationes, ubi ex una parte constat de bona fide pœnitentium, et ex altera prævidetur eos non obtemperaturos monitioni, sed in casu nostro non semper tibi constat de bona fide; ad summum enim de ejus existentia dubitas. Imo sæpe constat vel de mala fide pœnitentium, vel de eorum ignorantia vincibili; ea enim quæ repugnant juri naturali, ut repugnat onanismus, non tam generaliter ignorantur.

1111. — *R. ad 4^m Quæs.* *In primo casu*, omnino arguendus et damnandus FLORIANUS: 1^o quia omnes conjugatos de usu conjugali illicito interrogat, siquidem plerumque hac de re inquirendum non est; 2^o quia sedulo interrogat, cum non nisi generaliter et breviter sit interrogandum, v. g. an pœnitens aliquid indebite circa matrimonium egerit; 3^o quia requirit ut pœnitentes, de onanismo rei, experientiam de recto usu matrimonii faciant antequam absolvantur: hoc enim maximis incommodis obnoxium est, et, si malunt a conjugio omnino abstinere, ad illud cogi non possunt; 4^o quia idipsum pro salutari pœnitentia imposuit: hoc enim Confessarium et confessionem in contemptum et derisionem vertere potest.

1112. — *In secundo casu*, arguendus pariter et damnandus ARNALDUS: 1^o quia docet doctrinam falsam et periculosam, scilicet: nunquam esse de usu conjugii pœnitentes interrogandos, juxta superius dicta in *responsione ad 3^m Quæs.*; 2^o quia docet pœnitentes non esse audiendos si hac de re interrogent: Confessarius enim ut doctor non debet celare veritatem, præsertim iis qui eam requirunt; insuper ii qui interrogant, eo ipso in bona fide, seu in ignorantia invincibili non versantur; 3^o quia docet pœnitentes in bona fide esse constituendos saltem *indirecte*, quod falsum est et absurdum.

CASUS VIII.

ONANISMUS 3°.

HUMBERTUS, Confessarius, sic in sequentibus casibus :

1° Ratum habet difficile credendum esse viris emendationem in usu matrimonii promittentibus, adeoque eis ipse absolutionem communiter denegat, usquedum firmitatem propositi longo temporis intervallo probaverit.

2° Uxores non absolvit, nisi toties quoties repugnantiam exteriorem, et quidem maximam, viro onanistæ ostenderit, et pessimum exitum ex denegatione debiti timuerint.

3° De peccato mortali damnat uxorem in usu illo matrimonii, delectationi sensibili consensum præbentem, licet a peccato viri abhorruerit, et repugnantiam suam viro ostenderit.

4° Graviter arguit uxores quæ interne cupiunt prole non gravari, licet, debitum recte adimplere velint, et a peccato abhorreant.

HINC :

QUÆR. 1° *An absolvi possint onanistæ recidivi, si emendationem promittant?*

2° *Quid agendum cum uxoribus onanistarum, quæ nollent quidem Deum offendere, sed nollent etiam filios procreare?*

3° *Quid de doctrina et praxi HUMBERTI in singulis?*

SOLUTIO :

1113. — *R. ad 1^m Quæ.* Tractandi sunt onanistæ recidivi sicut alii qui in alia peccata relabuntur; regulæ igitur quæ communiter statuuntur pro recidivis, iis etiam sunt applicandæ. Quare, si onanistæ recidivi videantur vere de peccatis dolere, et emendationem serio promittere, absolvendi sunt.

1114. — *R. ad 2^m Quæ.* Non paucae uxores in istis ambagibus versantes reperiuntur, quæ abhorrent quidem a peccato mortali, quia nollent in æternam damnationem incurrere, sed etiam a filiis procreandis deterrentur. In praxi requiritur : 1° ut nullo actu positivo viri peccato cooperentur neque verbis, neque signis, nec querimoniis de prole numerosiore, etc.; 2° ut displicentiam externam habeant de peccato a conjugate commisso. His autem stantibus, non sunt inquietandæ uxores respectu onanismi, licet molestiam ac repugnantiam notabilem experiantur relative ad generationem : repugnantia enim ob partus dolores, et metum mortis forte ex partu secuturæ, naturalis est; neque arguendæ sunt mulieres conjugatæ ex eo quod desiderant non habere plures filios, siquidem hujusmodi desiderium nihil mali continet, modo peccato viri non cooperentur, neque in eo sibi complacent. Compescendæ etiam sunt uxores timoratæ conscientiæ, quæ timent ne affectu interno in prava viri actione delectentur, ut filios non procreent : quia, cum plerumque a peccato gravi abhorreant, non censentur hujusmodi complacentiæ inhærere; proindeque absque difficultate sunt absolvendæ.

1115. — *R. ad 3^m Quæ.* — *Quoad 1^m casum,* HUMBERTUS severiorem procul dubio se habuit erga viros emendationem promittentes. Si Confessarium decipiant, ipsi viderint. Tutus erit in conscientia Confessarius *per se*, si illi asseverent se dolere de præterito, et serio promittant emendationem de futuro; nihil aliud inquirendum remanet. Nec admittenda praxis HUMBERTI de firmitate propositi per temporis diuturni intervallum probanda; quia relapsus minime probat propositum defuisse, siquidem sæpe etiam qui firmiter proponunt se peccatum vitaturos, relabuntur. *V. Comp. de Penit. n. 623.*

1116. — *Quoad 2^m casum,* iterum severiorem praxim sequitur HUMBERTUS : non enim necessarium est ut uxores toties quoties displicentiam suam viro manifestent; sed sufficit si interdum id faciant, ita ut vir habitualiter existimet suam agendi rationem uxori displicere. Neque necesse est ut uxor pessimum exitum timeat ex denegatione debiti ad illud concedendum, sed satis est ut reformidet grave incommodum quodcumque, v. gr. si vir cessaret dare signa amicitiae, aut se ostenderet valde offensus; tunc enim ejus consortium fieret ingratum, et magnum incommodum pro uxore tractu temporis induceret.

Quoad 3^m casum, errat quoque apertissime HUMBERTUS. Uxor enim in actu copulæ conjugalis delectationem sensibilem admittere semper potest, licet prævideat virum peccatum *Onæ* patraturum esse : actus enim ille est in se honestus et mulieri permissus; satis est igitur ut peccato viri non consentiat.

1117. — *Quoad 4^m casum,* atque iterum errat Confessarius, arguendo de peccato uxores quæ interne optant ut prolem non habeant; sufficit enim ut nullo actu positivo, ut supra dictum est, prævaricationi conjugis cooperentur, nec ejus peccato assentiant. Caveant tamen illæ mulieres ne in tali desiderio, cæteroquin licito, diutius immorentur. Morosa enim illa consideratio non raro eorum mentem perturbat, et quibusdam periculosa est.